



**Tabulae Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Tertia Navfragii Tabvla: Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae Blattarvm
inclementiam euasere, de Festis

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1615

In festo S. Remigii.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56152)

IN FESTO S. REMIGII FR.
corum Apostoli, 1614. Bossuti, vbi &
telaris est hic Diuus, Pastore tùm
Dom. Ægidio forti, quondam stud
rum Bosquieri in Houdano Col
legâ carissimo.

Thema: *Mementote Præpositorum &
strorum, qui vobis loquuti sunt verbum De
quorum intuentes exitum conuersationis, &
mitamini fidem, Hebr. 13.*

Dicendum } 1. *Quæ fuerint in S. Remigio singulari*
ergo hodiè } *ria;*
mihi } 2. *Aduersus eos qui putant Sanctiorum*
} *inuocandos;*
} 3. *Quid speciatim in S. Remigio imita*
} *dum. AVE.*

I.

Quæ fuerint in S. Remigio singularis.

Nescio (Auditores &c.) huius vestri locutio
quitatem, neque à quo tempore, neque à quibus
maioribus vestris, S. Remigius Remensis Episco
pus, Francorum. post S. Dionysium Arcopagitanum
Apostolus, vobis, & huic loco datus sit Patronus
ac Diuus tutelaris: Hoc vnum tamen scio, vix potuisse
tuisse vobis dari Patronum Sanctiorē, Doctiorē,
Gloriosiorē, & apud Deum Potentiorē, &c.
Hab

Habuit enim Remigius iste nonnulla, à quibus penè ipsis Apostolis, & maximis quibusque Diuis, maior cènseri possit.

Priuegia S. Remigij illustrissima

- 1. Natiuitas præter naturam;
- 2. Prænuntiatio;
- 3. Nominis futurorum præfagi impositio antè ortum;
- 4. Sanctificatio in utero.

* 1. Natiuitas præter naturam.

Natus enim est parentibus ad generandum tunc ineptis, non ob sterilitatem ipsis à natura inditam, sed ætate concillatam.

Pater enim eius Aemylius, & Cilinia mater, pia & cœlestis mulier, ambo nobiles, & apud suos gratiosi, iam quidem antè genuerant filios duos, vnum cui nomen Principius, & alterum, nescio quem, patrem S. Lupi postea Sueffionum Episcopi: sed tandem idem iam vetulus, & eadem iam vetula & muliebria deinceps non patiens, hunc quoque Remigium serò genuerunt in pago Laudunensi.

Ex utero senectutis ferè natus olim summus quisque, Isaacus ex Abrahamo, Baptista ex Zach. & Elisabetha, &c.

* 2. Prænuntiatio. Monacho enim cuidam vitæ inculpatae sed cæco, diuinitùs reuelatum, nasciturum Remigium, signo dato, se lacte illo, quo ille à matre lactaretur, lucis vsuram recepturum. Hinc-

marus ep. in vita Remig.

Maximi quiq; sic prænuntiati.

Isaacus Abrahamo, Genes. Samson. Iud.

Baptista, Zachariæ sacrificanti. Luc.

Christus, Mariæ Virgini Isaiam tunc
 citanti. Luc.

* 3. Nominis futurorum præfagi impostu-
 ortum,

Remedius enim nonnullis, Remigius
 melius, dictus fuit,

Si Remedius dictus fuit, quàm benè, Ille
 Ecclesiæ Gallicanæ, à Vandalorum rabie per-
 affectæ, opitulaturus erat, & remedio maximo
 turus.

Vnus homo Gallis, medicando restituit rem.

Si verò Remigius (quod Hincmarus mag-
 probat) & sic quoque optimè, siue illud deriue-
 vel à Remo Romuli Romæ conditoris fratre; si-
 ue à remo, nautico instrumento, quo naues mo-
 uentur ad cursum, vnde pro uerbum Velis rem
 aliquid conari,

Si enim à Remo Romuli fratre; præfagi-
 it, illum spiritualis Romuli, id est, Pontificis
 mi consortem, & auctorem cum illo imp-
 Christiani fore,

Remo cum fratre Quirinus

Iura dabunt.

Si autem à remo instrumento nautico,
 & dicti remiges, Remigius vocatus est, præ-
 videbatur, Ecclesiam sibi credendam, cui
 Scyllam & Charybdim in maximis periculis ve-
 saretur, eius tamen Præfulis vita, doctrina, voce,
 scriptis quasi vario ordine remorum, ad portum
 tandem, tutamque stationem peruenturam.

Hincmarus Episc. in eius vita. B. Remigius
 quod Ecclesiam sibi credendam inter fluctu magos

vectorus esset anfractus, Remigij cognomen affecutus est.

Et post pauca: Qui Ecclesiam Dei, speciali autem cura Rhemorum ciuitatem atque prouinciam, remigio alarum sanctarum, sc. verbo & exemplo meritis, & orationibus erat Dei predestinatione vectorus, & perfecto certamine. spiritu caelestia regna petiturus, Angelorum utique subiectus auxilio, Remigius est iure, Dei preceptione, vocatus.

Maximis quibusque diuinitus sua nomina vel imposita, vel mutata.

Abrahamus ex Abramo dictus est.

Israel, ex Jacob. Non vocaberis vltra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel. Gen. 35. quem locum fuse expositum vide, in nostra secunda Naufragij tabula, concione funebri in R. P. F. Jac. Lescaillertum.

Ex Simone, Petrus, & Bar-Ionas dictus Caeli clauiger.

Iohannes & Iacobus dicti Boanerges filij tonitruum.

Iohanni Baptistae nomen ab Angelo impositum, item ipsi Christo.

* 4. Sanctificatio in utero. Hincmaro Episcopo creditur noster iste Sanctus fuisse, antequam natus.

Priuilegium profecto paucissimorum, vt Ieremiae, Baptistae, & Virginis Mariae.

Omnes nascimur filij irae, obnoxij exilio, è caelis sempiterno, &c.

In Adamo omnes peccauerunt.

Nemo mundus à sorde, ne infans, cuius vnus diei vita super terram. Iob.

Ecce

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in
carnis conceptus me mater mea. psal. 50.

Orig. hom. 8. in Leuit. Addi his etiam illud
test, vt requiratur, quid causa sit, cum baptisma
sua in remissionem peccatorum detur, secundum
sua obseruantiam etiam paruulis baptismum dari
vtique si nihil esset in paruulis quod ad remissionem
beret & indulgentiam pertinere; gratia baptismi
per sua videretur.

Respondit autem praefagis tota vita, nihil
spes fefellit suorum Remigius.

Tantus enim euasit, vt natus 22. annos, ad Ep
scopatum raperetur, vnde effectum, vt tam diu Ep
iscopatum gesserit, annis 74. Unde propter etiam
prolixitatem, iubilaeus nominabatur. Ex quo discimus
non nuperum esse, vt tubilarios honorare, qui laud
liter quinquaginta annos in Sacerdotio, aut, quod
rissimum est, in Episcopatu exegerunt. Molanus
Natalibus Sanctorum Belgij, 13. Ianuarij.

Vbi notanda aetas illa, & inde aestimanda et
canities ante annos.

Canisunt sensus hominis, & aetas senectutis, vt
immaculata. Sap. 4.

Consummatus in breui expleuit tempora
ibid.

Nos miselli ferè canos & annos habemus
num, vitia verò puerorum.

Pueri centum annorum.

Notanda etiam honorum fuga illo seculo
sitatissima, nunc aded defueta, vt etiam ambiam
equos mulosque dignitates persequendo fati
mus, coelum & terram moueamus, &c.

Si enim Remigius iste ad Episcopatum raptus est, non se ingessit, aut ambiit.

D. Gregorius etiã fugit Pontificatum, seque abdidit.

Itã D. Augustinus, iam celebris factus, loca illa declinabat, quibus Episcopum deesse audiebat.

D. Bernardinus Senensis Franciscanus hos imitatus: Tres enim eum populi Pontificem elegerunt, *Vrbinales, Ferrarienses, Senenses. Sed non fuit ei consilium, linguam, qua toti posset Italia consulere, vnã urbem (forte mel, vnã vrbe,) concludere.* Aeneas Syluius hist. de Europa, cap. 64.

Gaufredus quidam monachus Clareuallensis Prior, cum electus esset Episcopus Tornacensis, refugit, etiã D. Bernardo eius Abbate, atq; Eugenio Papa cogentibus, prostratusque ad Abbatis & Electorum pedes, crucis in modum, edidit heroicam planè vocem, dicens: *Monachus fugitiuus esse potero, Episcopus verò nunquam ero. Feliciter planè.* Nam cum, post mortem, vni cuidam Monacho sibi charissimo adparuisset, dixit: *Mihi nunc benè est, sed hoc ex libro vitæ S. Trinitatis didici: Si de numero Episcoporum fuisset, de numero damnatorum essem.*

Neque id incredibile, si vera est Chrysofomi sententia, itã censentis: *Arbitror, inter Episcopos, non multos esse, qui salui fiant, sed multò plures, qui pereant.* D. Chrysof. hom. 3. Act.

Non quia sit res mala Episcopatus, sed quia re bona abuti in procliui est, & ars artium est, regimen animarum, paucis satis nota.

Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesie praelatio, & qua multa indiget sapientia, &

fortitudine. Chrysoft. hom. 59. in Ioann.

Honores mutant mores, raro in meliores.
prouerb.

Euadit per sapè libertas in licentiam. Eo ip
ceteris pralati sumus, ad agenda qualibet maiore
centiam habemus. D. Greg. hom. 17. in Luc. 10.

Imperio non abuti, & potestate, perdit
le.

D. Franciscus dicebat: In Pralatione casus, in
de precipitium, in humilitate subditi, anima lucrui
D. Bonau. in vit. eius lib. 1 c. 6. §. 5.

An non plus satis oneris cuique est, animæ su
cura?

Ambitus leges, & multas veterum iam reuul
scere, non sit inutile.

Pax foret in Ecclesia maior, si ductu Spiritus
omnia agerentur.

Non esset, cùm de Laicâ potestate Clerus
reretur, quasi malè ius Episcopandi vsurpant.

Virtuti locus maior esset, quàm languini,
fauoribus, & fautoribus, &c.

Obedientioribus etiàm subditis Pralati omni
vterentur, vel quia electi ab ipsis essent, vel certe
Spiritu S. promoti intelligerentur.

Non audirentur tam sæpè hæ, aut his
voces: Nolumus hunc regnare super nos, intrusum
electum.

Deo adiutore Episcopi & Pralati vterentur
vtpotè nunquam suos Christos, & suas (vt sic dicat)
creaturas, à seq; promotos, deferturo.

Chariores denique haberent ipsi Pralati sub
ditos suos, vtpotè electores & suffragatores sui
ipso

spontaneos, non per vim subiectos, subactos, & quasi vi subiugatos.

Sed ad rem, his in aliud tempus locumque remisit.

In Episcopatu autem suo optimè se gessit Remigius.

Vnicè enim incubuit conuersioni animarum.

Clodouæum, seu Lodouicum Gallia Regem, huius nominis primum, primumq; ex Gallia Regibus Christianum (quem Paulus Aemilius religionis Christianæ in Gallia fundatorem vocat) lucratus est, catechizando, baptizâdo, &c. cum primum eius vxor Clotildis iam Christiana, illum eò multis adlexisset, huc tamen, ante nuptias cum ea, pacto obligatum; & deniq; voto, ante bellum cū Germanis, si eos vinceret, obstrictum. Vide Bern. Girardum, lib. 3. rerum Gallicar. pag. 208.

Qui etiam tria millia pugnatorum cum eo conuertit ad Christum. *Ibidem.*

Hincmarus scribit Clodouæum, omnè Francorū populum, per B. Remigium baptizari obtinuisse.

Idem, Regibus Gallia deinceps inaugurandis unguēdisq; sacram ampullam oleo plenam cœlitus vel ab Angelo, vel à columba delatam accepit; quæ de re sic Bernardus Girardus, vti ex Gallico verto: *Historia Gallica* (inquit) *hic tale miraculum narrat contigisse. Cum iam Clodouæus staret in fontibus Baptismalibus, expectaret quæ Episcopus Sacerdotem, qui sacram Baptisteryi Chrisma adferret, ad Clodouæum inueniendum; neque posset sacerdos, propter multitudinē ingentem, ad Baptisteryum vsque penetrare, tunc per miraculum adfuit Angelus e Cœlo (alij columbanus*

candidam fuisse dicunt) cum ampulla exigua, qua sancta implebat, eamq; Remigio obtulit, quod Clodouæum baptizauit. Ea ampulla honorifice multis Regibus inungendis seruij, in ipsorum inuentione. Bernard. Girard. rerum Franciæ lib. 22. & lib. 3. fol. 209. (à quo miror dici, ampullam illam aqua plenam fuisse; nam Chrismatis supplere debuit, cui oleum vicinius: & tandem ipse subdit multis Regibus inungendis seruisse: non tamen aqua dicitur quis ungi, sed oleo potius. A Gallorum Reges vulgò unctos dici, & Chrismati Domini, & quidem ab hac ampulla. Ergò oleum illatum videri in ampulla, non aquam. Doceam velim. Etsi enim ampullam illam Remis vidi, non adtigi tamen.) A quo tempore eidem Clodouæo cœlitus quoque transmissa insignia Regni, in aurea, in campo (vt nunc loquuntur) cœruleo, anteà Gallorum Reges vel tres bufones, vel (vt dicitur alios) tres coronas, vel (secundum alios) crescentes Lunas gerere solerent, (vt vulgus Gallorum credit) nullius tamen fide digni Autorum autoramento. *Idem Girardus ibidem lib. 1. fol. 21.*

Ludouicus tamen Richeomus è S. 1. in qua Apologetica ad regem Galliæ, aduersus libellum Autoris Anonymi, &c. pag. 206. 207. 208. multa ea de re non dubitare, sciteq; vt omnia, doctissimè mysteria interpretatur, homo (iudicio meo) doctiss. vnaque eloquentissimus.

Clodouæum autem Regem iam iam baptizandum, Remigius paucis, sed magnanimis sanè verbis corripuit, dicens: Depone illa Sicamber, quod est in te, pite erectiore, cælarie longiuicula, lota, tymian-

te & cinnamomo odorata & c. accederet. *Hincma-*
rus in vita. Girardus ibid. lib. 3. fol. 209.

Idem Remigius hæreticum malè de Filio Dei
sentientem conuertit, in Synodo Episcoporum.

Nàm certè Remigij temporibus hæresis Arria-
na maximam Regum Christianorum partem oc-
cupauerat.

Hæresis enim ferè est vt *Fama, malum, quo non*
aliud velocius vllum,

Mobilitate viget, vireisq; adquiret eundo.

Parua metu primò, mòx sese adtollit in auras,

Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

Monstrum horrendum, ingens: cui tot sunt corpore
pluma,

Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,

Tot lingua, totidem ora sonant, tot subrigit aureis.

Nocte volat cæli medio, terraq; per umbram,

Stridens, nec dulci declinat lumina somno:

Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,

Turribus aut altis, & magnas territat vrbeis;

Tàm facti, prauiq; tenax, quàm nuncia veri. Virgil.

4. Aeneid.

Militem ex Clodouæanis, qui, captis Remis, ex
templo, contra Clodouæi edictum, calicem sacrū
fustulerat, apud Clodouæum, nondum tamen
Christianum, per Legatos Sacerdotes grauitè ac-
cusauit, calicem repetiuit, à Rege obtinuit, rerum
sacrarum zelator ardentissimus, scilicet. *Pro aris &*
focis pugnare hoc fuit.

Itaque apud Deum nunc plurimū gratia po-
test, vt clientes suos iuuet.

Illius ergò *Præpositi vestri, qui loquutus est vobis*

verbum Dei (vobis, inquam, quia Belgæ estis, Galliam pars Galliarum trimembris quondam tu de Galliam Belgicam sæpè auditis & legitis, hinc Remos, ubi præ fuit ac docuit Remigius, cui aut tridui tantum iter est.) *mementote*. cum morando, colendo, imitando, precando, auer cum & patronum apud Deum prosperis rebus afflicti adsciscendo, ut has depellat & auer las tales seruet.

Ioh. Molanus, in Natalibus sanctorum Belgii Ianuarij. Huius Apostolici viri memoria inter Belgos est celibranda, eò quod maior pars Belgii ipso Episcopo te Regibus Francorum paruerit. Ex post pauca: si præ terea aliud considerandum, magnam Belgii partem, non tantum Regis Christianissimi potestati, sed & Remigii Episcopi sollicitudini metropolitico iure subfuisse. Hic S. Remigius Ved.stum dedit Atrebatibus & postea & tam ipse quam eius successores, tot beneficia p tulerunt, ut ea quæ passim monumentis sunt præla absque prolixitate recapitulari possent.

Si illum annis istis superioribus, quo pleræq; multæ ædes hic vestræ, incendio magno, conu grarunt, inuocassetis adiutorem, ritèq; coluisset meliore loco stetissent (opinor) res vestræ.

Remis enim aliquandò simili casu idem currit. Nam illius vrhis iam tertia parte remota vastata, totaq; ad eò vrbe in simili periculo ven te; ut hoc sciuit Antistes, adcurrit, extinguit, sumq; ignis sic reflexit, ut flamma vorax, per portam, instar abacti à Prætorio milite præ nis fugere visus sit.

Hoc remige ergò in hoc procelloso mari

ti, utimini, &c. Remis velisq; Remigius vtetur, vt vobis adsit, & profit.

Secundum nomen eius, sic & laus eius. psal.

Non frustra vel Remedius vel Remigius dictus est.

I I.

Aduersus eos qui putant Sanctos non inuocandos.

Sed subaudire videor Hagiomastyges, & Diuorum hostes, mussitantes, negantes ac pernegantes, orare illos pro nobis; (scilicet is Superis labor est a cura quietos sollicitat.)

Negantes quoq; et si fortè pro nobis orent, non tamen esse interpellandos; ne Christo Mediatori iniurij simus, eius Amori aut Diligentia velut diffidendo;

Negantes denique etiam, ab illis preces nostras intelligi, aut res nostras cognosci, &c.

Itaq; his paucis iudico retundendos.

* 1. O rare ergo Diuos mortuos pro nobis, aio Scriptura probari.

1. Machab. 3. dicitur Ieremias, iam pridem tamè mortuus, multum ac diligenter, pro populo ac Ierosolymorum vrbe, intercessisse.

4. Reg 19. Protegam vrbe hanc, & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum.

Psal. Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui. Quin ex Patribus quoq; euidentur.

D. Hier aduersus Vigilant. Si apostoli & Martyres, adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quando magis post victorias, coronas & triumphos?

Non sunt immemores nostri, relictorum hic in

carcere, cum benè ipsis est, ut quondam fuit
 potius ille pocillator Iosephi immemor, cum
 ipse è carcere reductus ad mensam, & pocula
 Pharaonis.

Non sunt Diui, ut amatores illi leues & ho-
 tes, ut procùl ab oculis positos, à corde quoque
 moueant (quod prouerbio nostrate dicitur:
de l'oeil, loing de cœur.) Potius LONGE ET PA-
 PE nos amant, nostrique meminerunt, ut qui-
 dam veræ Amicitiae simulacro inscriptum erat.

* 2. Interpellari autem quoque posse, nulla in-
 iuria Mediatoris, patet.

Interpellantur enim non ut ipsi res conferant,
 sed ut impetrent conferri.

Interpellantur, ut minores mediatores apud
 Mediatorem summum Iesum Christum.

Non sunt nunc peiore conditione, quam essent
 in terris.

At dum in terris viuerent, nulla Mediatoris
 iuria interpellabantur; Ergò.

Centurio pro puero suo paralytico, senior
 Iudæorum adhibet mediatores apud Christum
Luc. 7.

Abimelech implorat preces Abraham. Gen.
 Pharaon inter plagas, preces Moyse. Exod.
 Amici Iob, eius ipsius intercessionem, etiam
 hortatu Dei. Iob.

Apostoli ipsi preces postulant Christianorum
 à se conuersorum pro se.

Deindè, aliter atque aliter Mediatores sunt,
 si Diui, & Christus Dominus.

Christus enim Mediator est Redemptionis
 Sancti

Sancti verò mediatores adplicationis.

Denique, vti Sanctis mediatoribus, non diffidentia est de Mediatore Christo, sed potius in eū ac Patrem maior reuerentia; sed & conscientiarū meritorūque nostrorum diffidentia. Indignos enim nos sic profitemur ipsius Christi intercessionibus, nisi alijs dignioribus apud eum intercessoribus emereamur eius intercessionem apud Patrem.

* 3. *Intelligi luculenter ab eis preces nostras &c. multis modis probari.*

* j. *Quòd in Deo omnia videant, omnia audiant, &c.*

Quid est, quod nesciat, qui videntem omnia, videt?

Aug.

Vt mulier ad speculum stans, seque studiosè componens, vultum suum, oculos, & capillos videt, & præterea, etsi nullos oculos à tergo habeat, videt nihilominus quæ retrò sunt, maritum scilicet, liberos, orbis, paroprides, lebetes clausibus suis dispositos, lucentesque in parietibus, &c. Sic Beati Deum ipsum clarissimè intuentes, & se vident, & quæ sub pedibus suis sunt.

Quis ausit quempiam speculum inspectantem subsannare, aut gesticulando ludificare, quasi ab illo videri non possit? In speculo ille se, & sannas tuas videt.

Luc. 16. Abrahamus non tantum quæ circa se erant intellexit, sed etiã, quæ circa Lazarum, in Inferno, & quæ circa fratres eius in mundo.

Vide Irenæum aduersus hæreses, lib. 2. c. 63.

* ij. *Quòd Angelis ibi similes dicantur. Erunt sicut Angeli Dei, &c.*

Z 5

Sed

Sed Angeli vident etiã quãdam abditã
peccatoris humani. Ergò & homines iam be

De Angelis enim dicitur : *Gaudium est
Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Pœni-
tia autem secretò fit, & inuilibiliter in animo
intùs occultè inspirante, & voluntate hominis
bedienter assentiente : Nec possunt Angeli
gaudere, nisi probè cognita. Ergò norunt eam
qua gaudent. Ergò secreta quãdam cordium
runt. Ergò & animæ beatæ.

* iij. Norunt quoq; Angelis renuntiantibus, qui
frequenter hinc hùc, & contrà eunt redeuntq;.

Nota est illa scala Iacob, in qua Angeli descen-
dentes atque adscendentes visi. *Genf.*

Vt ex viatoribus, hospitiibus & peregrinis, res
Hispanicas, Turcicas, &c. hinc discimus, & domi-
sedentes penè videmus, quæ ubiq; geruntur, in
cœlo, relatu Angelorũ peregrinantũ, nuntian-
custodientium, & à custodia suorũ post mortem
uertentiũ, beatę animę discūt, quæ scire expedir.

* 4. Norunt, rerum ipsarum aliquãdò cõspic-
Nonnunquam enim redire ad suos permittuntur.

* 5. Norunt relatu animarum quotidie hinc
cœlum emigrantium.

* 6. Norunt & propria ratiocinatione.
Non sunt infeliciores illic intellectu, aut me-
moria, quàm hic fuere.

Sed hic alios suo pede metiri potuerunt, ali-
cere ex suis angustijs, alienas; reminisci pœnitenti-
promissorum mutuorum, &c.

Ergò & in cœlis positi, memores eorum, qui
passi sunt, hi in matrimonio, hi in cœlibatu, hi in
licet

litia, hi fori, &c. intelligunt, quid quisque patia-
tar, quoq; egeat quilq; pro sua conditione &c. &
intercedendo apud Deum, quâ possunt, succurrunt,
charitate Christi eos urgente, quæ ibi non deltru-
itu, sed augetur.

Non ignara mali miseris succurrere discit. Virg. 1.
Aeneid.

Itaq; peruentorû more, per hos gratiâ Dei e-
iusq; beneficia ambiamus: per ipsos ad magnû Dei
& hominum Mediatorem Iesum pertingamus.

*Ita tenuit consuetudo, ut iam etiam vulgò peruen-
tores adpellentur, qui ad potentiam quorumlibet tam-
quam inaccessibiles animos per conuenientium per o-
narum interpositionem, ambitionis arte pertingunt.* D.
Augustin. de consensu Euang. lib. 2. c. 20.

Vel amantes nôrunt vsui esse posse ancillas su-
arum amaharû, ad gratiâ earû sibi conciliandam.

*Vox magni in hac re artificis: sed prius ancillam
captat & nôsse puella*

Cura sit, accessus mollis, et ista tuos.

Hanc tu polliceris, hanc tu corrumpe rogando:

Quod petes, ex facili, si volet illa, feres.

Ouid. lib. 7. de arte.

Etiâ nutricum gratia magna est apud alum-
nas tuas.

Nullane sit Diuorû, qui Christo olim seruerunt,
Christû in alijs aut genuerunt, aut iâ genitû aluerunt?

III.

Quid speciatim in S. Remigio imitandum.

Cæterum, ut ad Causidicum & patronû si nihil
aduleris, ibi Homere foras, & negligenter causa
tua

tua curabitur; sic Diuorum pro nobis intercedere frigida erit, si non eos vitæ suæ probæ imitatione demerebimur.

D. Aug. de Martyr. ser. 2. & 3. Martyres deum in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut uentur pro nobis Domino supplicare.

D. Chrysostr. hom. 1. in c. Matth. 5. Nescimus pro nobis amari ex illorum meritis, ut ipsi oscitantes & desideremus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam orationes, supplicationesq; Sanctorum: sed tunc profecto, quando nos quoque, id ipsum per penitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus.

Vox ista (patron) apud Gallos nostrates duo significat. Primò enim Patronum, tutorem ac protectorem; Secundò modulum seu exemplum quod sequi atque imitari possimus, quo modo uocamus inter puellarum choros, telam ac pictam opere Phrygionis (vn patron, ou modèle) aut inter architectos domum pictam, quas puellæ & artifices sibi proponant imitandas; puellæ, ut simili opere aliquid posse discant; artifices, ut talem domum edificent.

Ergò, si volumus, Diuos tutelares ac patronos delectos seriò nobis patrocinari; conemur in eorum exempla intueri, & imitari, & per uelut sequi.

Feruntur enim omnes studiosissimè ad similes, & sibi similia amat, quidquid amandi est capax.

Similitudo morum, ac formæ quoque, conciliat amicitiam.

Et inde adeò charus est homo Deo suo, quòd

scilicet creatus sit ad imaginem & similitudinem eius, tūm verò charissimus, quum Deum virtutibus & moribus probis exprimit.

Vt Narcissus imaginem suam in amne videns, eam mōx deperijt: sic Deus, sic Diui omnes, visis sui exactis imaginibus, id est, imitatoribus. *Ouid. lib. 3. Metam.*

In Remigio ergò hoc maximè velim vos imitari, zelum animarum, & conuersionis peccatorū ad Deum,

D. Gregor. hom. 17 in Luc. 10. *Qui vna eademq; exhortationis voce non sufficit simul cūctos admonere, studeat singulos, in quantum valet instruere, priuatis locutionibus adificare, &c.*

Episcopum gerat domi Paterfamilias, ante focum, si frigus erit.

Episcopatus eius sit, tota domus. Populus eius, & oves pascua eius sint, vxor, liberi, serui, ancillæ, &c.

His de Dei Timore, Amore, & præceptis sapè loquatur.

Repetat apud eos aut ab eis, quæ hic à me aut alijs pro concione dicuntur.

Legat, aut legi iubeat coram suis, antè vel post cenam, vitas Sanctorum, qui in illum aut illum diem incidunt; Montem Caluarie Gueuarræ; aut libellum de imitatione Christi, &c.

Curet suos maturè Confirmari, Confiteri opportunè, Sacramentis vti, &c.

Omniū diuinorum diuinissimum est, Deo cooperari, in reductione animarum ad ipsum, ait alter Gallo- rum Apostolus Dionysius Areopag.

Mino-

Minore culpa Christi sanguis è calice est
& calcari, quàm vna anima perire, permittat.

Docuit id Christus re ipsa, qui ipse totum
sanguinem effudit in terram, animam tran-
situm ad Infernum vsq;, tantum vt animas nostras
re non lineret idem facturus vel pro vnica, si
ca fuisset redimenda.

Operæ quoq; huius pretium erit maximum

Non Missam celebrare salutaris operanti, q
peccatores conuertere.

Matth. 5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus re-
cabitur in regno Cælorum.

Daniel. 12. Qui ad iustitiam erudiant multos, quasi
stella in perpetuas eternitates.

1. Timoth. 5. Qui benè præsumt Presbyteri, duplici
honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbis
& doctrina.

Iacob. 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab
re via sue, saluabit animam eius à morte, & multam
multitudinem peccatorum.

1. Timoth. 4. Hoc enim faciens, & te ipsum
num facies, & eos qui te audiunt.

Auro coronario in cælis eiusmodi homines
donabuntur, ita in scripto **SERVATI GRATIA
CIVIS.**

Ergò reuocandis in rectam viam peccatoribus
cum Remigio, remis velisq; adnitimini, quique
pro modulo suo.

Sed proh dolor! pleriq; multi nituntur alios
nà secum perdere, corrumendo, scandalizando

Vel saltem, vt nullius animam scandalizemus
aut perdamus!

Turpe quid aufurum reuocet te filius infans!

Non iuret, non blasphemet pater, audientibus paruis liberis.

Non redeat vino madidus, ac mente alienatus; non vxorem diuerberet, aut vexet, &c.

Non instar lunonis aut Xantippes vxor viro sit molesta, clamosa, rixosa, &c.

Non admittat mater amatores, maximè liberis presentibus aut videntibus: nulla iuuentutis suæ narret facinora.

Si non castè salt in cautè.

Ferè non peccat, quacungq; posset peccasse negare.

Quid. lib. 3. eleg eleg. 13.

Qui furor est, quæ nocte latent, in luce fateri?

Et quæ clam facias, facta referre palam?

Sit tibi mens melior, saltemq; imitare pudicas,

Teq; probam, quamuis non eris, esse putem. Idem

ibid.

Quàm perfrictæ sunt frontis, qui vel quæ peccatum suum sicut Sodoma predicauerunt! & quasi lauream tibi debitam præstolantes, triumphum canunt, expugnata huius atque illius pudicitia!

Quod verò nequitix extremæ est, eadem, cum pro Tribunali poenitentix in subsellio iacent, silent quasi in Pythagoræ schola educatæ; interrogatæ quoq; negant, pernegant vniuersa; verecundæ vbi minimè oportuit; vbi oportuit, inuerecundissimæ, & quavis Laide impudentiores.

Timuerunt, vbi non erat timor.

Stultorum in urata malus pudor vlcera calat.

Non confundaris pro anima tua dicere verum.

Est confusio adducens peccatum, &c.

Palea & mica.

* 1. Ampullam illam oleo plenam, putant
allatam ab Angelo, quem & Michaelé fuisse
tant.

* 2. Lilia quoque tunc diuinitus è cælo
quibus Clodouæus ipse, & qui eum secuti
Reges Franciæ, pro regni insignibus vsi sunt,
tribusonum. Vide Guaginum, lib. 1. c. 8.

* 3. Ampulla illa etiã nunc adseruatur Rem
in Abbatia S. Remigij, & dicitur apparere oleum
solum quo tempore sunt coronandi Gallorum
Reges, non etiã alias, idque tota Gallia notiffi-
mum esse refert Bar-ptolomeus Chassaneus in Cata-
logo gloria Mundi, parte 5. confid. 31.

IN FESTO SS. CRISPINI
Crispiniani, futoriæ artis patronorum

Auesnis in templo superiore 1614. 20.

Octobris, horâ circiter 10,

antemerid,

Thema: *Quæ videntur membra corporis
infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ pre-
tamus esse ignobiliora membra corporis, his a-
bundantiorem honorem circundamus, & quæ
inhonestas sunt nostra abundantio-
riorem habent. 1. Cor. 12.*

Vulgò dicitur (Auditores &c.) prouert